



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatum Serie Vigesimo-Octavo De Matrimoniis, &
Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

De impedimento affinitatis. Pun. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76659)

PUNCTUM VIII.

De impedimento affinitatis.

- 1 Quid sit affinitas?
- 2 Ex qua copula oriatur affinitas?
- 3 Ex penetratione vas is feminei absque seminatione, vel ex seminatione extra vas non tritru affinitas.
- 4 Nos est necesse copulam licitam, & coniugalem esse.
- 5 Veritas est spectato iure natura affinitatem ex copula fornicaria non oriri.
- 6 Satis sit argumentis oppositis.
- 7 Ad quem gradum extendatur affinitas?
- 8 Aliqui censent iure natura irritum esse matrimonium in affinitibus primi gradus, tam linea recta, quam transversa.
- 10 In nullo gradu affinitas ex copula fornicaria irritat matrimonium iure natura.
- 11 Affinitas linea transversa ex copula coniugali orta nequaquam dirimit matrimonium iure natura.
- 12 Verisimilius est nullam affinitatem linea recta matrimonium iure natura dirimere.
- 13 Sit suis fundamentis num. 8. adductis.
- 14 Soluuntur fundamenta num. 9. rela. a.

Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali procreans, nulla ex se præiupposita parentela. Sic Thom. receptus ab omnibus in 4. dist. 41. quæst. unica art. 1. q. 3. argum. 2. Glossa in arbore affinitatis 35. qu. 5. Etenim cum per copulam viri, & femina vna caro efficiantur, consanguinei femininæ redduntur viri affines, & propinqui in eodem gradu ac sunt cum femina, & consanguinei viri redduntur affines, & propinqui femininæ in eodem gradu ac sunt cum viro. iuxta Glossam in cap. non debet. verbo in secundo de consanguinitate & affinitate. deciditurque in cap. Fraternalitatis. 35. quæst. 10. ibi: Si vna caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus vni pertinere, nisi pertineat alteri.

1 Copula, ex qua necessarii affinitas nascitur nulla alia est præter eam, quæ ex se generationi apta est, quæque matrimonium consummare potest, vti multis comprobatur Sanchi, lib. 7. disp. 64. num. 8. & seqq. Basili. Ponce. lib. 7. cap. 3. num. 2. Coninch. disp. 32. dub. 4. n. 46. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 5. num. 1. quia per illam copulam, & non aliam vna caro efficiuntur.

3 Hinc manifestè infertur ex penetratione vas is feminei absque seminatione, irrumque ex seminatione extra vas femineum naturale affinitatem non nasci, vti probat Textus in cap. extraordinaria 35. q. 5. Quinimo in probabili sententia absque viri & seminatione: quia pleribus placet non improbabilius vtriusque seminationem generationi necessarium esse, ac proinde matrimonij consummationi, Neque est oblat Textus in cap. inuenus de Sponsalibus. & cap. Fraternalitatis, de eo qui cognouit consanguineam uxoris sue, vbi decretum separandum esse virum a coniuge, eo quod fororem eius nondum septennem duxerit, & forsan cum ea tentauit coassummare, nec potuit, extraordinarie libidine polluit. Non inquam obstat, nam eo casu non fit separatio ob impedimentum affinitatis, sed ob impedimentum publicæ honestatis, loquitur enim Poteftex de Sponsalibus. Quapropter ex matrimonio quousque consummatum sit, est oriatur impedimentum publicæ honestatis, de quo infra, nulla tamen affinitas nascitur, hæc enim copulam necessariam requirit, vti definitur Pius V. in bulla edita Kalend. Julij anno 1568. super declaratione in Concilio de impedimento affinitatis, quæ incipit, Ad Romanam & expresserit lex regia 5. tit. 6. part. 4. & multis comprobatur Sanchi, lib. 7. disp. 64. numero 25. Guierri. cap. 99. num. 7.

4 Nullo tamen modo necessarium est copulam, ex qua affinitas nascitur licitam, & coniugalem esse, nam esto fornicaria sit sufficit ad affinitatem inducendam saltem iure Ecclesiastico, vt constat ex Trident. sess. 24. de reformat. cap. 4. & habetur cap. discretiorem, de eo qui cognouit consanguineam, &c. Solùm est dubium, An spectato iure naturali ex copula fornicaria nascatur affinitas? Negant nasci Nauarr. lib. 4. consil. tit. de Sponsalibus consil. 7. alias titul. de consanguinitate. consil. 1. Ledesim. 2. part. quæst. 57. art. 23. paulo post princ. Victoria sum. vbi de matrimonium. 296. Henric. lib. 12. cap. 1. num. 2. Thom. Sanchi. lib. 7. disp. 65. num. 9. Mouentur primo ex leg. non facile affines, & 8. sciendum ff. de gradibus affinitatis. ibi: Sciendum est neque cognationem, neque affinitatem esse posse, nisi nuptia non interdicta sint, ex quibus affinitas coniungitur. Secundo affinitas ex copula fornicaria nulla sunt imposita nomina, sicuti sunt imposita affinitas ex legitimo thoro. Ergo signum est apud gentes nullam esse huius affinitatis veltigium. Tertio, & præcipue, quia ex copula fornicaria nulla nascitur propinquitas, quæ amicitiam, seu reuerentiam ex-

Ferd. de Castro. Sum. Mor. Part. V.

eter inter consanguineos. Non enim filius excutatur ad amorem, reuerentiamve exhibendam feminae a suo patre turpiter cognita. Ergo nulla ex tali copula affinitas nascitur.

Sed longe verior est contraria sententia, quam docuit Ioan. Andr. in cap. 1. num. 3. de conuers. infidel. Et ibi Anton. num. 2. opposit. unica. Cardinal. ibi in princ. num. 1. opposit. 1. Venerum 1. part. speculi art. 47. in probat. secunda conclusio. Rebell. lib. 3. de matrim. quæst. 15. conclus. 2. Coninch. disput. 32. dub. 4. conclus. 1. n. 49. Gaspar Hurtado disp. 20. difficult. 2. & colligitur ex leg. liberi 4. Cod. de Nuptiis, vbi statuitur, ne filij ducant parentum concubinas, quia id minus religiosum, & probabile est. Sentit ergo Alexand. Imperator ex prædicta copula affinitatem oriri, & quod magis est, Amos 1. num. 7. tanquam grauissimum scelus reputat quod pater, & filius introierint fornicandi causa ad eandem puellam, cuius nulla alia causa, vt rectè aduertit Egid. de Coninch. esse poterat, quàm quia per talem copulam contrahatur affinitas Ratio vero ea est, quia ideo per copulam coniugalem nascitur affinitas, quia per ipsam efficiuntur coniuges vna caro, vniusque sanguis. Atque proprie efficiuntur qui copulam fornicariam habent, vt expresse dixit Paul. 1. ad Corinth. 6. n. 15. ibi. An uescit qui adheret meretrici (scilicet per fornicationem) vnum corpus efficiatur, Erunt, inquit, duo in carne vna. Ergo contrahunt proprie affinitatem cum alterius consanguineis, vt porè accedentes ad eorum sanguinem.

Neque argumenta in contrarium videntur. Nam lex Non facile negat affinitatem imò & cognationem ex nuptiis interdictis non absolute, sed quoad aliquos ciuiles effectus, scilicet successione, sicuti etiam negat cognationem, & affinitatem capite diminutis, non quidem cognationem, & affinitatem naturalem, hæc enim tolli non poterat, sed ciuilem in ordine ad successione. Ad secundum nego affinitas ex copula fornicaria non esse imposita ea nomina, quæ affinitas ex copula coniugali. Sane etenim. Frequenter tamen non sic appellantur, eo quod hæc affinitas non honoris, sed dedecoris sit. Ad tertium admitto ex prædicta copula fornicaria non nasci affinitatem, quæ amorem, & reuerentiam excitet. Ad id necessarium non est, satis enim est quod fiant vna caro. Præterea nego ex tali copula per se sumptâ non nasci amicitiam, & reuerentiam: nascitur namque, cuius signum est, quod filius etiam patre mortuo abhorreat coicum cum patris concubina, ne patris turpitudinem reuelat. Quod si in concubina odium, & non in eius amorem exciteretur, id nascitur, quia ea copula eius patri perditionis occasio erat.

Porro affinitas, et si iure antiquo vsque ad septimum gradum, sicuti consanguinitas extendebatur iuxta Textum in c. nullum. cap. equaliter 35. quæst. 3. at nunc restricta est ad quartum gradum ex Textu in c. non debet de consanguinitate. Et affinitas. Et licet in illis Textibus nulla sit mentio affinitatis extra ex copula illicita, cum ex hac affinitas oriatur, sicut ex copula licita. Cap. discretiorem. De eo qui cognouit consanguineam uxoris suæ: omnes Doctores teste Guierri. cap. 99. num. 11. extendunt eam ad affinitatem ab eodem gradu, ac extenditur affinitas ex copula licita, nisi notio Concil. Trident. decreto sess. 24. cap. 4. de reformat. matrimonij, ad secundum gradum restricta esset.

Quæstio igitur est, An aliqua affinitas iure natura irritum reddat matrimonium? Negari non potest esse indecens, & peccatum absque legitima causa matrimonium contrahere cum affine in primo gradu siue linea rectæ, siue transversæ, maxime si affinitas ex legitimo thoro nascatur, vti probat Coninch. disp. 32. dub. 4. num. 51. Sanchi. disp. 62. numer. 7. Sed, An, tale matrimonium sit irritum tam in affinitate linea rectæ, quàm transversæ? non est constans Doctorum sententia. Nam Paludan. in 4. d. 45. qu. 1. art. 5. conclus. 2. S. Antonin. 3. part. tit. 1. cap. 1. & alij plures relati a Sanchi. lib. 7. disp. 62. num. 5. censent non solum in affinitibus linea rectæ, sed etiam in affinitibus linea transversæ matrimonium iure natura irritum esse in primo gradu. Mouentur ex illo Matth. 14. & Marc. 6. vbi Ioannes Baptista reprehendit Herodem, eo quod uxorem fratris sui acceperit, neque valeret dicere accepisset illam viuente fratre suo Philippo. Contrarium enim dicit Chrysol. hom. 41. in Matth. & probabile reputat August. lib. de fide, & operib. cap. 19. A: Herodes Lege Moylis Leuit. 18. non reuelas turpitudinem fratris tui, non alstringebatur, vt porè qui Gentilis erat, & non Iudæus. Ergo quia aduertus legem naturalem delinquebat reprehendebatur a Baptista. Secundo in cap. gaudemus de diu. titis deciditur infideles ad fidem conuersos, si in secundo, vel tertio gradu affinitatis existant non esse separandos. Ergo supponitur esse separandos, si in primo gradu coniuncti sunt. Tertio secundum valde probabilem sententiam matrimonium consistere nequit inter fratrem, & fororem, ac vxor fratris foror reputatur, eo quod per copulam vna caro sint effecti. Ergo vxor fratris nequit eo mortuo esse vxor alterius fratris.

Alij grauissimi Doctores censent affinitatem linea rectæ in primo gradu, V. g. inter priuignum, & nouerca, vel priuignam,

M

gnum, & victricum, socerum, & nurum, socram, & generum matrimonium irritum esse iure naturæ: sic docent Nauar. lib. 4. consil. tit. de sponsalibus. cons. 1. 4. edit. 2. Sotus in 4. d. 41. quæst. unica. art. 3. circa finem. Couarru. 4. decret. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 6. Valquez tom. 2. quæst. 74. art. 8. disp. 112. num. 7. Coninch. disput. 32. dub. 4. concl. 3. num. 53. Valent. t. 4. disp. 10. quæst. 5. p. 3. vers. certis controversia est. Bellarm. cap. 28. de matrim. post initium. Paul. La man. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 6. assert. 5. num. 5. & alij relati a Sanch. lib. 7. disput. 66. num. 6. sumiturque ex leg. si adulterium §. quare ff. ad leg. Jul. de adult. Et ex leg. ult. §. nouerca ff. de conditione sine causa, in quibus hæ nuptiæ incestuosæ vocantur. Et præcipue ex cap. 2. Amos, vbi tanquam scelus grauissimum exaggeratur quod filius, & pater iuerint ad puellam consuptandam, quia eo facto inquit Textus, nomen sanctum Dei violantur id est genibus talem copulam detestantibus occasionem præbuerunt nomen Dei blasphemandi; ob quam causam Paul. 1. Corinth. 5. Corinthios reprehendit, eo quod inter ipsos audiverit fornicatio, qualis neque inter gentes, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat. Neque credendum est Deum in antiqua lege Leuit. 20. pœna grauissima ignis periturum; quia supra vxorem filiam duxerit matrem eius, nisi hoc coniugium naturæ legibus maxime aduersaretur. Deinde est argumentum à ratione. Matrimonio namque coniuges vna caro efficiuntur, ergo reuerentiam, quam filius patri debet, eandem ferme exhibere tenetur suæ nouercæ, vt colligitur ex August. lib. 22. contra Faustum cap. 61. relato in cap. si vir. 35. quæst. 3. At negari non potest esse contra reuerentiam patri debitam, si eius vxori filius commisceatur. Et confirmatur, inter consanguineos linea rectæ iure naturæ consistere nequit matrimonium in primo gradu: at affines æquè à matrimonio, ac consanguinei excluduntur, cap. 1. de consanguinit. & affinit. Ergo matrimonium inter affines in primo gradu esse non poterit iure naturæ spectato.

10 Ceterum aliter in hac quæstione dicendum existimo. Et in primis certum esse debet affinitatem ex copula fornicaria procedentem in nullo gradu iure naturæ matrimonium irritare. Nam esto ex illa copula affinitas nascatur, quod probabilis existimus, est tamen quedam affinitas minus perfecta, quæ nullo iure probari potest matrimonio impedimentum esse. Præcipue cum videamus sæpè in hac affinitate Pontificem in sacra pœnitentia dispensare, quod nullatenus præstaret, si iure naturæ ea affinitate matrimonio irritaretur. Atque ita vt certum tradunt Sanch. lib. 7. disput. 66. num. 3. Rebell. lib. 3. de matr. quæst. 15. concl. 2. Paul. Layman. lib. 5. sum. tract. 10. par. 4. cap. 6. concl. 5. num. 6. & alij Doctores in conclusionibus sequentibus referendi.

11 Secundo affinitatem lineæ transuersæ nascentem ex copula coniugali nequaquam matrimonium iure naturæ dirimere. Tenent hanc sententiam innumeri Doctores, qui varios tractatus ediderunt in defensionem matrimonij Henrici VIII. cum Catharina, quod ipse conabatur irritum esse, eo quod prius cum suo fratre nupsisset, & præter eos docent Couarru. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 10. num. 7. & seqq. Bellarm. lib. 1. de matrim. cap. 28. Valent. t. 4. disput. 10. q. 5. pun. 3. versim alie autem gradibus. Sanch. lib. 7. disput. 66. num. 11. Basil. lib. 7. c. 34. num. 3. & alij apud ipsos, qui referunt sæpè Pontificem in hac affinitate dispensasse, quod nullatenus faceret si iure naturæ matrimonium dirimeret. Et Clemens VIII. autoritate Pontificia declarauit dispensationem concessam à Julio II. Henrico VIII. pro matrimonio cum Catharina eius coniuge validam fuisse. Vnde de hac quæstione nullus videtur dubitandi locus. Præterea in statu legis naturæ Iacob duxit Lyam, & Rachelem sorores. Gen. 29. & Iudas Gen. 38. eidem feminæ concessit duos fratres in viros, & Deuterom. 27. cautum erat, vt frater vxorem fratris sui absque liberis defuncti duceret, quæ nullatenus permitteretur, si illud coniugium iuri naturæ aduersaretur. Denique indecentia, quæ in hoc matrimonio reperitur, non videtur tanti momenti, vt ob ipsam afferendum sit Authorem naturæ non concessisse affinitas potestatem se in coniugium tradendi.

12 Tertiò dico verosimilius esse nullam affinitatem lineæ matrimonium iure naturæ dirimere, quæ est sententia D. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 9. in solut. ad 2. Et ibi Caietan. Alexand. Alen. 2. p. q. 169. memb. 2. & 3. p. q. 27. memb. 4. art. 3. §. 2. Henric. lib. 11. c. 1. num. 2. & c. 9. num. 5. Sanch. plures referens lib. 7. disput. 66. num. 7. Basil. Ponce, lib. 7. c. 34. num. 5. Rebell. de obligat. iustit. 2. p. lib. 3. q. 15. num. 10. & colligitur manifestè ex Concilio Agathensi can. 6. & Concilio Epagnensi can. 30. vbi prohibetur matrimonium contrahi cum priuigna, cum nouerca relicta, vel auunculi, at si contractum sit ante eam prohibitionem decernitur sustinendum esse, quod euidentissimum signum est validum à Pontifice reputari. Idem constat ex Concilio Aurelianiensi 3. can. 10. vbi hæc verba habentur. De incestibus coniunctionibus ita qua sunt seruentur, vt si qui aut modo ad baptismum veniunt, aut quibus patrum statuta Sacerdotali prædicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro notitate conuersionis, ac fidei sue credidimus consulendum, vt contracta huiusmodi coniugia non soluantur, sed in

futurum, quod de incestibus coniunctionibus in anterioribus canonibus interdictum est obseruetur, id est, vt ne quis sibi sub coniugij nomine sciare præsumat relictam patris filiam, relictam fratris, sororem vxoris, sobrinam, consobrinam, vel relictam auunculi, vel patris. Ergo sentit Pontifex iure naturæ prædictam affinitatem matrimonium non dirimere, alias conuenerit ad fidem separandi essent, vt potè qui inualide contractissent. Fauetque huic sententiæ illud Reg. 3. c. 2. vbi Adonias petit Abisac vxorem patris sui defuncti in coniugium. Et quod tradit Valerius Maximus, l. 6. §. cap. 7. de Senecio Syriæ Rege qui prudenter (inquit) filio suo Antiocho periculose agrotanti ob amorem Siraatoricis nouercæ suæ eam illi in coniugem concessit. Etenim cum matrimonium esse naturæ irritum esse non possit secluso errore, nisi ex defectu potestatis ad generationem, vel quia coniuges se mutuo subiecti non possint ad debitum reddendum, prolem educandam, & familiam gubernandam, vel quia Deus ob indecentiam in eo matrimonio repletam noluit potestatem concedere hominibus ad tale coniugium. Et in matrimonio, quod filius veri gratia cum vxore parentis sui defuncti contraheret nihil horum reperitur, conuincitur iure naturæ irritum esse non posse matrimonium ex vlla affinitate. Minorem probò. Affinitas in primo gradu lineæ rectæ non constituit impotentiam ad generationem, vt de se liquet, neque impedit debitam coniugium subiectionem. Nam esto filius reuerentiam debeat vxori patris sui, id non tollit, quin ipsa matrimonio contracto subiecti ei possit in domestica gubernatione. Neque item ex eo quod fuerit vxor sui patris ortu tam grauis indecentia, vt causâ vrgenti honestati non possit cum ea coniugium. Si enim honestatur coniugium in affinitate lineæ rectæ orta ex copula fornicaria, cur non honestati potèrit in affinitate ortâ ex licita copula, cum hæc affinitates solum differant penes magis, & minus. Hinc inferendum est, si infideles aliqui in primo gradu affinitatis coniuncti sint, & ad fidem conuerterentur nullatenus separandos esse, nisi fortè iuxta ritum suarum legum tale matrimonium irritaretur, vt constat ex prædictis Conciliis, & notatur Veneruz 2. p. speculi, art. 25. circa finem. Henric. lib. 11. cap. 9. an. 5. Sanch. lib. 7. disput. 66. num. 8.

Supereft satisfacere fundamentis aliarum sententiarum. Et quidem ea quæ num. 8. adduximus probantia iure naturæ affinitatem in primo gradu lineæ transuersæ matrimonium dirimere facilia sunt. Nam primo defuncto ex reprehensione à sancto Ioanne Baptista Herodi facta, negamus Philippum fratrem Herodis mortuum esse, sicuti negat S. Thom. in illius locum Marti. Et Beda in eum locum Marti. Et alij apud Maldonat. Et Ioseph. li. 18. antiquit. c. 6. Sed gratis concessio Philippum mortuum esse, adhuc Herodi non licebat vxorem fratris sui habere, eo quod Leuit. 18. coniugium cum vxore fratris demortui liberis relinquere prohibetur esset, & Philippus reliquerat filiam Herodiadem saltatricem, & Herodes quauis Gentilis esset, quia tamen erat filius Iudæi cuiusdam lege Moyis attingebatur. Ad secundum ex c. gaudeamus de diuortio, respondeo ibi nec negari, neque affirmari, an coniuncti in primo gradu separandi essent, præterquam quod potius de gradibus consanguinitatis, quam affinitatis Textus loquitur. Ad tertium etsi concedamus inter fratrem, & sororem matrimonium iure naturæ consistere non posse, non inde inferitur non posse cum vxore fratris demortui, nam esto per matrimonium coniuges afficiatur vna caro, extrinsecam tamen.

Difficiliora sunt fundamenta num. 9. adducta, ad probandum iure naturæ esse irritum coniugium cum affinitibus in primo gradu lineæ rectæ, at nullatenus conuincunt, vt à sententiâ Pontificum declaratione firmatâ recedamus. Ad primum desumptum ex leg. si adulterium, & ex leg. ult. concedo nuptias cum iis affinitibus incestuosas esse, quia sunt prohibita ob indecentiam, & irrita iure communi spectato, secus iure naturali. Ad secundum ex loco Amos, respondeo merito grauissimum scelus reputatum esse, quia fuit quoddam adulterium, & indecentissimum, sicuti fuit illud quod Paulus 1. Corinth. 5. reprehendit, viuente enim patre, illoque renitente filius vxori patris sui copulabatur teste Caietan. Sedulo, & aliis relatis à Iuliano, & Conelio in illum locum. Quod vero Deuter. 20. penitentiâ ignis prædictum coniugium puniatur, inde solum conuincitur esse indecentissimum, ac proinde homines ab eo auertendos esse, neque tale coniugium permitendum, nisi ex vrgentissima causa, & quia hæc ratio contingere potèst, ideo Pontifices nequaquam in hac affinitate dispensant. Tertium ex ratione peritum probat indecens esse seclusâ vrgentissima causa prædictum coniugium, non tamen probat irritum esse. Minorem namque reuerentiam nouercæ, quam matri, à quo esse accepti, exhibere tenent. Ad confirmationem dico æquè affines in primo gradu, ac consanguineos excludi à matrimonio contrahendo, si ius positium spectetur, secus si ius naturale.